



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

8. De homicidiis servorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

- | | |
|--|--|
| 78. De eo qui furem in domo receperit. | 85. De corpore expoliato. |
| 79. De homine pendato & ejus hereditate. | 86. De caballo excorticato. |
| 80. De via lacina. | 87. De homine forbanito. |
| 81. Vt parvulus non respondeat ante quindecim annos. | 88. Vt nemo munera in iudicio accipiat. |
| 82. De damno in messe vel in clausura. | 89. Vt iudices sive Missi fiscales freda non exigant priusquam facinus componatur. |
| 83. De maleficio. | |
| 84. De Grafione injuste invitato. | |

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LEX RIPVARIORVM.

I. De ictu ingenuorum.
Si quis ingenuus ingenuum ictu percussit, solido uno culpabilis iudicetur. Si bis, duobus solidis. Si ter, tribus solidis culpabilis iudicetur.

II. De sanguinis effusione.
Si quis ingenuus ingenuum percussit, ut sanguis exeat, terramque tangat, bis novem solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum sex juret.

III. De ossi fracto.
Si quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, xxxvi. solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

IV. De puncto.
Si quis ingenuus alterum transpuncerit, aut infra costas plagaverit, xxxvi. solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

V. De debilitatibus.
I. Si quis ingenuus ingenuo auriculam excussit, ut audire non possit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si autem auditum non perdidit, quinquaginta solidos componat.

II. Si nasum excussit, ut muccare non possit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si muccare praevalet, quinquaginta solidos componat.

III. Si quis ingenuus ingenuo oculum excussit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si visus in oculo restiterit, ita ut videre possit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur.

IV. Si manum excussit, centum solidis culpabilis iudicetur. Si manus ibidem manca pependerit, quinquaginta solidos componat.

V. Si quis ingenuus ingenuo pollicem excussit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur. Quod si pollex ibidem mancus pendiderit, viginti quinque solidis culpabilis iudicetur.

VI. Sic in omni mancatione, si membrum mancum pendiderit, medietatem componat quam componere debuerat si ipsum membrum abscissum fuisset.

VII. Si secundus digitus, unde sagittatur, excussus fuerit, triginta sex solidis componatur.

VIII. Si quis ingenuus ingenuo pedem excussit, centum solidos componat. Si pes mancus ibidem pendiderit, quinquaginta solidis culpabilis iudicetur.

IX. Si articulum qualemcunque amputaverit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur.

X. Ista omnia si negaverit, cum sex juret quod hoc non fecisset.

VI. De castratione.
Si quis ingenuus ingenuum castraverit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

VII. De homicidio ingenuorum.
Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

VIII. De homicidiis servorum.
Si quis servum interfecerit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret quod hoc non fecisset.

IX. De homicidiis hominum Regis.
Si quis hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim juret.

X. De homicidiis hominum ecclesiasticorum.
I. Si quis hominem ecclesiasticum interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim juret.

II. Sic in reliqua compositione unde Ripuarius quindecim solidis culpabilis iudicetur, regius & ecclesiasticus homo medietatem componat, vel deinceps quantumcunque culpa ascenderit.